

98.  
Peto.  
r?  
licet  
ral  
c. 1.  
Do-  
nib.  
mur  
3. ff.

3. 11

ENVNCIATIONES  
IVRIDICÆ 1597  
DE  
LOCATIONE ET  
CONDVCTIONE

QV AS  
Auspicio IEHOVÆ. opt. Max.

PRÆSIDE

*Clarissimo iuxta, ac doctissi-  
mo viro*

Dn. ELIA REINVVALDO  
V. I. D.

Exercitij gratia in celeberrimo Lipsien-  
fium Lyceo defendere conatus est.

*Hora locoq̃ consuetis.*

MARTINVS PRAETORIVS  
BRIGENS. SIL.

☉ ( o ) ☽

Lipsiæ, Michaël Lantzenberger imprimebat.  
Anno 1 5 9 7.

38.



Clarissimis, humanissimis, omniq; vir-  
tutum genere, conspicuis, Viris  
Dn. M. SAMVELI REINHARDO.

*Illustrissimi Principis & Domini  
Dn.*

**J O H A N N I S G E O R G I I**  
*Marchionis & Electoris Brandenburgici, &c.*  
CONSILIARIO DIGNISSIMO.

NEC NON

Dn. ELIÆ REINHARDO I. V.  
CANDIDATO

Illustrissimorum principum & D. D. Mar-  
chionum Brandenburgic. præceptori  
fidelissimo, &c.

*Fratribus germanis.*

Dn. popularib. & fautoribus suis honorandis.  
Has suas enunciationes juridicas

I N

*Exercitiij literarij symbolum, perpetuæ observantia te-  
stamen Gratiq; animi tesseram.*

Exhibet. offert. consecrat.

*Respondens.*



T H E S I S I.

**L**ocatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, eisdemque ferè iuris regulis consistit.

*l. locatio 2. in princip. ff. h. t. & text. est in princip. Institut. eodem.*

I I.

Et hæc est contractus, iurisgentium, bonæ fidei (a) nominatus (b) solo consensu initus (c) de rei cuiusdam usu (d) fructuue (e) aut hominis operâ (f) pro mercede certâ, ilicò constituta. (g)

(a) *l. 1. ff. h. t. l. ex hoc iure 5. ff. de iustit. & iur.*

(b) *d. l. 1. & l. iurisgentium. 7. ff. de pact.*

(c) *d. l. 1. & l. qui ad certum. 14. ff. h. t. l. consensu. 2. ff. de oblig. & act.*

(d) *l. si tibi. 5. & l. si quis in princip. 9. ff. eod.*

(e) *l. ex conducto. 15. §. 1. l. si in lege. 24. §. Colonus. 4. ff. h. t.*

(f) *l. in operis. 26. l. qui operas. 38. ff. eod.*

(g) *l. sicut emptio. 20. §. fin. l. Et hæc distinctio. 35. §. 1. ibi certo precio. ff. h. t.*

I I I.

Quis sit locator, quisue conductor, pauci exactè & simul, in vna propositione concludunt: nos tamen cum Bocero, omissis reliquis, hosce ita describimus, vt sit locator qui definitâ mercede, vel rem vtendam aut fruendam alicui concedit, vel in operis præstandis alicui se offert: conductor verò qui constituta mercede, vel rem vtendam, fruendamue ab aliquo accepit, vel in operis præstandis placitum offerentis suscipit.

A 2

Boc.

*Boc. in l. contractibus. 23. ff. de reg. iur. cap. 4. num. 9.*  
*Albus. 1. Meth. cap. 33. Donell. cap. 14. num. 4. de præ-*  
*script. verb.*

IIII.

Hunc contractum duplicem esse ex eo constat, quod locatio, alia sit temporalis, alia perpetua: (a) illa ad tempus certum: (b) Hæc in perpetuum fit (c) & Emphyteusis vulgò nominatur, (d) de qua in sequenti disputatione.

(a) *l. viam veritatis. 10. C. h. t. Hottom. in suis Comment. Instit. eodem.*

(b) *Velut in lustrum siue quinquennium litem queritur. 13. §. fin. l. si in lege. 24. §. si domus. & §. colonus. ff. h. t. l. si à colono. 89. ff. de verb. obligat.*

(c) *l. 1. ff. si ager vectigal. l. 1. 2. & 3. C. locat. pradior. civil. vel fisc. aliquando tamen in longinquum tempus. l. ult. ff. si ager vectigal.*

(d) *vt patet ex toto tit. ff. si ager vectigal. & ex tot. tit. C. de iur. Emphyt.*

V.

Contrahitur autem hic contractus solo consensu, neque rei traditionem, neque literas, vt aliquando in emptione quæ in scriptis fit, requirit (a) & in hoc ab Emphyteusi differt, quæ ad sui constitutionem scripturam exigit. (b)

(a) *d. l. 1. & d. l. qui ad certum. 14. ff. h. t. l. contractus. 24. C. eod.*

(b) *l. 1. ibi scripturam interuenientem. C. de iur. Emphyt. Borchold. in comment. in lib. feud. cap. 3. num. 7.*

VI.

Nec tantummodo expresso, sed etiam tacito consensu, vt si quis post elapsum locationis tempus, in-

quili-

quilinum in domo manere patiatur.

*l. item queritur. 13. §. qui impleto, cum l. seq. ff. h. t.*

### VII.

Et quidem in rusticis prædijs in annum recondu-  
ctio fieri intelligitur: in urbanis verò tam diu quoad  
alter renunciat.

*d. l. Item queritur. §. fin. ff. h. t. quia in rusticis solum in  
anno, uno tempore: in urbanis qualibet anni parte fructus  
percipiuntur. Gothofr. in not. ad d. l. item queritur. §. fin.  
lit. b.*

### VIII.

Locare & conducere omnes possunt, qui non pro-  
hibentur: prohibentur autem conducere milites (a)  
Curiales, (b) adeò vt ne fideiussores quidem aut man-  
datores conductoris existere possint (c) id quoque in  
Emphyteusi locum habet. (d)

(a) *l. milites. 31. l. fin. C. h. t. nisi res ad militiam sibi fa-  
cientes conducant, puta stabulum. gl. d. loc. Salic. in  
sum. eiusd. tit.*

(b) *l. curiales. 30. C. h. t. l. Decurio. 4. ff. de decurion.  
nisi domum cum propriam non habeant conduxerint.  
Bl. in d. l. Curiales, vel alicui successerint in condu-  
ctione: nam in ea remanent, d. l. decurio.*

(c) *d. l. curiales. l. fin. C. h. t. l. si ignorans. 50. ff. h. t.*

(d) *per ll. citat. Coras. ad l. 3. C. de iur. Emphyt.*

### IX.

Res omnes quarum inter homines commercium  
est, locare possunt, siue mobiles, siue immobiles, cor-  
porales & incorporales, (a) communes (b) & res alie-  
næ, (c) operæ hominis etiam, honestæ tamen & locari  
solitæ. (d)

A 3

*l. si ti-*

(a) *l. si tibi. 7. l. si quis. 9. ff. h. t. l. rem alienam. ff. de contrah. empt.*

(b) *partium tamen consensu. l. 1. C. si commun. res pign.*

(c) *quia dominium transferre necesse non est. d. l. si tibi. 7.*

(d) *l. qui insulam. 30. §. qui mulas. ff. eod. l. qui operas. 38. ff. h. t. l. naturalis. §. 1. ff. de præscript. verb.*

## X.

Seruitutes autem prædiales, siue reales, quæ fundo debentur, locari per se non possunt nisi cum ipso fundo (a) personales verò, veluti ususfructus (b) habitatio (c) item feudum in modicum tempus rectè locantur. (d)

(a) *l. locare. 44. ff. eod. l. si is. 11. §. fin. cum l. seq. 12. ff. de pignor. & hypoth.*

(b) *§. minus autem. vers. cum is qui ususfructum. Instit. de usu & habitat. l. arboribus. 12. §. usufructuarius. ff. de usufruct. & quemadm. l. si quis. 9. ff. eod. Cuiac. 23. obseruat. 38.*

(c) *l. si tibi. 5. & l. si quis. 9. ff. h. t.*

(d) *c. vnic. §. donare ibi licet. posset locare qualiter olim poterat. de feud. alien. Francisc. Curt. 4. part. in ult. causa priuat. feud. in 1. regul. tert. princip. quest. Borchhold. in comment. feud. cap. 8. num. 36.*

## XI.

Rei quoque suæ, ut & iuris patronatus locatio consistere non potest. In operarum locatione toties est locatio & conductio quoties operæ locantur exercendæ in re nostra vel in nostra materia alioqui, si in re sua quis operas præstet, emptio & venditio, vel innominatus contractus est.

*l. Sabinus. 20. l. conuenerit. 65. ff. de contrah. empt. l. natu-*



*naturalis. §. at cum do ut facias. l. si tibi decem. 7. ff. praescript. verb.*

## XII.

Hiscæ differt locatio & conductio ab emptione & venditione, quæ non in rerum vñibus vel fructibus, vel operis hominum consistit, sed in rei alicuius alienatione.

*Novell. 7. cap. 1. Mynsing. ad §. praterea. num. 4. Institut. h. t.*

## XIII.

Sed an is qui operas suas locavit, eas proprijs sumptibus præstare teneatur nec non, quæritur? Et suis non conducendis sumptibus eas præstandas esse Dd. est certa conclusio.

*Br. in l. si non sortem. §. libertus. num. 34. ff. de conduct. indebit. ubi Ias. num. 32. Petr. Gerard. singul. 14. num. 15.*

## XIIII.

Quemadmodum emptio & venditio sine precio, sic locatio & conductio sine mercede, non contrahitur & statim perfecta est, si consensus partium de mercede constet.

*l. locatio. 2. l. sicut emptio. 20. ff. h. t. l. si conuenerit. 23. ff. commun. diuid.*

## XV.

Nec refert an merces sit in pecunia numerata, an in re fungibili, quia & in his constitui potest.

*l. si olei. 21. C. eod. l. si addes. 19. §. si dominus. l. si merces. 25. §. vis maior. h. t. l. si pascenda. 8. C. de pactis. Coras. lib. 2. miscell. cap. 2. Ar. Pinell. in comment. ad rubr. C. de rescind. vendit. part. 2. cap. 3. num. 28. & seq. ubi doctè & accuratè communem*

munem sententiam refellit *V Vesenb. in parat. num. 7. ff. h. t.*

### X V I.

Et res fungibilis pendi debet eo tempore, quod pactis contrahentium expressum est, quæ nisi adsint, mos regionis inspicitur, si neque de eo appareat, in fine anni luenda est.

*l. semper. 34. ff. de reg. iur. l. quaro. §. 1. ff. h. t. l. qui hoc. 42. ff. de verb. obligat.*

### X V I I.

In hoc contractu, quemadmodum in emptione, venditione, permittitur partibus, iure naturali, inuicem sese circumscribere.

*l. item si pretio. 22. §. fin. ff. h. t. l. in causa. 16. §. penult. ff. de minorib. V Vesenb. in paratit. num. 12. ff. h. t.*

### X V I I I.

Dummodo dolus & fraus, quæ huic contractui contraria sunt, absint, (a) nam & in locatione & conductione, locum esse remedio, *l. 2. C. de rescind. vendit. cum plerisque statuimus. (b)*

(a) *l. & ideo. 23. ff. eod. V Vesenb. d. nu. 12. vers. item error. l. & eleganter. 7. in princ. ff. de dol. mal. ubi Cuiac.*

(b) *Nesen. d. loc. Pinell. ad d. l. 2. part. 1. cap. 3. nu. 17.*

### X I X.

Locatio & conductio diem & conditionem recipit: diem cum certum tempus ad quod locatio durare debet exprimitur: (a) conditionem, veluti si tibi fundus intra certum tempus placuerit, erit tibi tot aureis locatus. (b)

(a) *l. viam veritatis. 10. C. eod. l. si in lege. 24. §. fin. l. cum in plures. 60. ff. h. t.*

*l. sicut.*

(b) *l. sicut. 20. ff. eod. per §. emptio. tam sub condicione.*  
*Instit. de empt. & vendit.*

X X.

Quod tempus interdum exprimitur, interdum non: etsi locator ad incertum tempus tunc in arbitrio locatoris est, quocunque velit tempore, poterit renunciare conductori locationem: (a) aut si eo viuo, facta non sit, morte locatoris finitur locatio. (b)

(a) *cum quodam tamen interuallo, quo de alia habitatione sibi prospicere possit. argument. l. in commodato. 17. §. sicut. ff. commod.*

(b) *l. locatio. 4. ff. h. t. l. Latinus. 9. ff. qui sine manumis.*

X X I.

Sed si moriatur conductor intra tempora eiusmodi conductionis, non finitur locatio, quia hæres eius eodem iure in conductione succedit.

*l. viam veritatis. 10. C. h. t. §. mortuo. Institut. eod. l. sed adde. 19. §. ex conducto. 8. l. cum in plures. 60. §. 1. ff. h. t. l. 18. ff. de iure dot.*

X X I I.

Num autem ultra quinquennium vel decennium locatio valeat? quæstionis est, & valere intrepidè affirmamus (a) licet Dd. frequenter dicant, eiusmodi locationem in aliud genus contractus transire, vt Emphyteusin, libellum, vel censum. (b)

(a) *VVesenb. in parat. num. 8. ff. h. t. Conan. 6. comment. 12. Ar. Pinell. in l. 1. part. 3. num. 66. & seq. C. de bon. matern. quia non temporis adiecta sed conuentio partium formam dat contractui. l. si procuratorem. 8. ff. mandat. l. obligationem. 44. ff. de obligat. & action. argum. l. 2. C. de prescript. 30. vel 40. ann. l. viam. 10. C. eod.*

B

Cuiac.

(b) *Cuiac. Institut. eod. per Nouell. 120. Dd. in clem. de reb. Eccles. non alien. & in l. codicillis. ff. de ann. legat.*

XXIII.

Finis locationis est, ut rerum usus sine alterius partis incommodo, inter homines communicentur.

*Vvesenb. in parat. num. 9. ff. h. t.*

XXIII.

Pignoris obligatio est adiuncta huic contractui, inuecta enim & illata in prædijs vrbanis tacite pro mercede & pro damno rei locatæ dato oppignorantur (a) in rusticis fructus, qui ex prædio percipiuntur. (b)

(a) *l. 2. cum seqq. ff. in quib. caus. pig. l. item. 4. ff. de pact.*

(b) *l. si in lege. 24. §. 1. ff. eod.*

XXV.

Sed hoc eatenus verum est, quamdiu res in prædio tam vrbano quàm rustico permanent, ius enim tacitæ hypothecæ solutum est, cum res illæ efferuntur.

*l. cum tabernam. 34. ff. de pignor. & hypoth. l. est differentia. 9. ff. in quib. caus. pign. vbi Vvesenb. in parat. circa fin.*

XXVI.

Sed quid iuris in mercatore inquilino, qui merces venales habet, & hæc tacite obligatas esse (modo illius sint) quam diu easdem in ædibus detinet, affirmamus.

*Zaf. in §. item seruiana. num. 20. & ibid. Mynsing. num. 16. Schneiduu. num. 39. Institut. de action. l. cum taberna. 34. ff. de pignor. & hypoth. & sup. dictum est, de pignorib. thes. 9.*

XXVII.

Effectus huius contractus est obligatio, ex qua nascitur actio locati & conducti, vtraque directa (a) bonæ fidei est (b) & in hæredem transitoria. (c)

*aliquan-*

(a) aliquando etiam utilis, si quis rem quam conduxit alij rursus sublocauerit: quia hoc permittitur nisi aliud sit conuentum. l. nemo. 6. C. eod.

(b) §. 1. ubi Dd. Instit. h. t. VVesenb. in parat. num. 13. ff. eod. Oldendorp. class. 4. action. 9.

(c) l. quaro. 54. ff. h. t. §. actionum. Institut. de action. l. si addes. 19. §. ex conducto. ff. eod. l. viam veritatis. 10. & l. cum conductorem. 29. C. h. t.

### XXVIII.

Locati actio comperit locatori contra conductorem, eiusque hæredem, vt rei ipsius fiat restitutio: vel tanti condemnetur, quantum in litem iurauerit locator, aduersus eum (a) item mercedis & usurarum, morâ commissâ (b) perfolutio.

(a) l. si cui. 48. ff. h. t. l. aduersus. 2. l. si diuisa. 13. C. eod. l. videamus. 11. §. qui vinum. ff. h. t. l. si quis. 25. C. h. t. Oldendorp. class. 4. action. 9.

(b) l. quaro. 54. ff. h. t. l. preses. 17. C. eod. l. cum quidem. 17. §. ex locato. 4. ff. de usur.

### XXIX.

Quo tempore verò, mora solutionis, mercedis, seu pensionis, in obligationem veniat, non inconuenienter quæritur? Et siquidem definitum sit, expressi temporis habenda est ratio: sin in annos singulos locatio facta fuerit, exacto anno: aliàs consuetudo cuiusq; regionis seu loci attendenda venit.

l. exceptio. 18. & l. seq. C. eod. l. semper in stipulationibus. 34. & arg. l. semper in obscuris. 9. ff. de reg. iur. VVesenb. in parat. num. 14. ff. h. t.

### XXX.

Obseruandum tamen hoc loco, quod si ob agrorum sterilitatem vel propter casum fortuitum, vim maio-

B 2 rem

rem vel aliam aliquam insignem calamitatem conductor re conductavti non possit, remitti conductori mercedis solutionem.

*l. ex conducto. 15. §. si vis. l. merces. 25. §. vis maior. ff. eod. c. propter sterilitatem ext. h. t. l. licet. C. eod. Gail. 2. observat. 23.*

### XXXI.

Sed num propter maximam fertilitatem fiat augmentum pensionis, quemadmodum propter sterilitatem pensionis remissio? ingens est inter Dd. conflictus: nos cum Gomez. (a) & gloss. (b) affirmatiuam opinionem sequimur.

(a) *lib. 2. variar. resolut. 3. num. 8.*

(b) *l. si merces. §. vis maior. verb. cui. ff. h. t. Gail. 2. observat. 23. in fin.*

### XXXII.

Sed hæc in locatione operis se aliter habent, qui cum opus faciendum conduxit, si pro toto opere pecunia promissa sit, eatenus mercedem petere poterit, quatenus opus perfectum & approbatum fuerit: secus si ad mensuram vel in dies pensio promissa est.

*l. qui insulam. 30. §. qui adem. l. opus quod. 36. ff. h. t. Wesenb. in d. num. 14.*

### XXXIII.

Damna quoque, quæ dolo vel culpa conductoris contracta sunt, hoc iudicio petuntur, vt si fortè res deterior facta sit aut incendio non fortuito corrupta.

*l. videamus. 11. §. 2. l. si quis. 9. §. Imperator. 4. l. si merces. 25. §. 4. & fin. l. si vulneraueris. 43. l. cum in plures. 60. §. seruum. 7. ff. h. t. l. si seruus. 27. §. si fornicarius. 11. ff. ad l. Aquil. Gail. 2. observat. 21.*

Sed

XXXIII.

Sed ex natura locationis de leui duntaxat culpa, non etiam de leuissima, vt nec de casu fortuito conductor teneatur: nisi forte hæc nominatim in se receperit, aut mora vel culpa præcesserit.

*l. sicut. 5. §. nunc videndum. ff. commod. l. contractus. 23. ff. de reg. iur.*

XXXV.

Contractu ita perfecto, conductor tempestiuè expelli nequit, nisi iusta causa subsit (a) ex diuerso etiam conductor ex iustâ causâ timoris habitationi quocunque tempore renunciare potest. (b)

(a) *l. quaro. 54. §. 1. l. & hæc. 35. ff. eod. Nouell. 120. cap. 8.*

(b) *puta damni infecti. l. in hac. 28. ff. de damn. infect. l. dominus. 55. §. fin. l. habitatores. 27. §. 1. ff. h. t. vel incendiij. l. si quis. 49. §. 1. ff. ad l. Aquil. exercitus. aut impetus hostilis. l. item quaritur. 13. §. exercitu. ff. eod. vel pestis. Gail. 2. obser. 23. num. 7. aut si spectra vel nocturna umbrarum illusiones in adibus vexent conductorem. Couarr. 4. variar. resolut. 6.*

XXXVI.

Conducti actione agit conductor aduersus locatorem, eiusue hæredem, de omnibus quæ sibi ratione conductionis debentur, (a) & in primis res ipsa præstanda vel eius interesse (b) aut damna, quæ ob rei locatæ vitium passus est, locator præstet. (c)

(a) *l. actionum genera. 25. ff. de obligat. & action. §. appellamus. Institut. de action.*

(b) *l. si tibi. 7. l. nos videamus. 8. ff. h. t.*

(c) *modo vitium illud scire potuit. l. ex conducto. 15. §. 1. l. sed addes. 19. §. si inquilinus. 4. l. dominus. 55. §. 1. l.*

B 3

colonus.

*solonus. 61. ff. h. t. l. cum conductorem. 29. C. eod.  
Cuiac. 10. obser. 4. in fin.*

XXXVII.

Præterea competit hæc actio ad hoc, vt locator, rem, domum, vel eam ædium partem, cuius conductori vsus cum in primis necessarius est, reficiat, aut pro rata temporis, quo vsui res esse non potuit, pensionem remittat.

*l. ex conducto. §. 1. ibi, aut villa non reficiatur. l. sed ad-  
des. 19. l. habitatores. 27. ff. h. t.*

XXXVIII.

Cum ob vsum rei merces præstetur, æquum est, vt quia conductor ea vti nequit, illi fiat pensionis remissio.

*arg. d. l. si merces. 25. §. vis maior. vbi Dd. ff. h. t.*

XXXIX.

Quod si opera conducta sit, & opus male fiat, eius quoq; habetur ratio, quod opus vitiosum factum fuerit.

*l. si hi. 22. C. locat.*

X L.

Denique conductor hac actione consequitur quicquid in re conducta necessario & utiliter impendit, vel tollere id ei liceat, sic tamen, vt damni infecti caueat, ne in aliquo, dum aufert, causam ædium deteriore faciat, sed pristinam faciem ædibus reddat.

*d. l. si addes. 19. §. si inquilinus. l. dominus. 55. §. 1. l. cum  
plures. 60. §. vehiculum. l. penult. in princ. ff. h. t.*

X L I.

Finitur hic contractus, si conductor ex re conducta ob iustam causam eiiciatur & extrudatur, (a) sed morte locatoris conductorisue regulariter non finitur, (b) item tollitur venditione rei locata: nam em-  
ptor



ptor non cogitur expectare donec tempus locationis præterierit, nisi hac de re conuentum fuerit. (c)

(a) *l. si in lege. 24. ff. h. t.* (b) *§. mortuo. Instit. eod. l. viam veritatis. 10. C. eod.*

(c) *l. emptor. 9. C. h. t. & ibi Dd. Couarr. 2. resol. 15.*

### X L I I.

Quo postremo casu mercedem remittendo, vel perceptam reddendo, aut præstando quod interest, locator liberatur.

*l. si quis domum. 9. l. ex conducto. 15. §. ubicunq;. l. si fundus. 33. ff. h. t.*

### X L I I I.

Denique tollitur locatio & conductio, si tempus præfixum locationis fuerit elapsum (a) vel dominus rem locatam proprijs vsibus necessariam esse probauerit, vel reficere voluerit, aut conductor improbè in ea versatus fuerit. (b)

(a) *l. sicut. 32. ff. h. t. l. inuitos. 11. C. eod.*

(b) *l. ade. 3. vbi gloss. Bart. & Dd. C. h. t.*

F I N I S.





Leipzig, Diss., 1593/1619

ULB Halle


3


004 954 793



V. 17







Farbkarte #13 B.I.G.



IONES  
 C Æ 1597  
 ONE ET  
 TIONE  
 Æ.opt.Max.  
 E  
 ac doctissi-  
 NVV ALDO  
 D.  
 errimo Lipsien-  
 e conatus est.  
 fueris.  
 AETORIVS  
 SIL.  
 rger imprimebat.  
 7.

3/4

7

